

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**AETIOLOGIAE VARIOLARVM**  
**PER HYPOTHESEN TENTATA**  
**EXPLICATIONE,**

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
PRAESIDE  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BVCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FAQVLT. MEDICAE SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,  
ET REGIARVM SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN. BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS  
D. VI. AVGSTI A. R. S. C<sup>10</sup> I<sup>0</sup> CCLXIV.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
**IACOBVS PHILIPPVS PELISSON,**  
BREMENSIS.

HALAE MAGDEB. LITTERIS IO. CHRISTIANI HENDEL.

DISSESSATIO IN AGARALIS MEDICO

DE

AETIOLOGIAE AARIALARVM  
PER HYPOTHESIN TENTATAM  
EXPLANATIONE

GRAY

DIVINI NAMINE AVSILLIS

CORENSA CLOVISACIE ACQUILATIS MEDICIS

PULLUS IDE

ARDO ITASTRA EXONITATISMO ET EPIPHYLLO

D. ANDREAE FELII BACHNERO

ICRI ROMANI IMPERII NOVITI

POSSIBILI VERSU A CONSULE INGRIS

MODICAS ET HYPOTHESES MATERIAS PROPTER QVAM  
LICUIT MEDICAE SCIENTIA ET RECTORVM ALUMNORVM PRINCIPIS

IMPERIALIS ACADEMIE NATURAE CONSERVATORIUM PREMISSE

ALLEGORVM SOCIETATI SCIENTIARVM ANGLOVAN BRITONIENSIS

ET MUSICALIS SOCIETATI

PRO GRADA DOCTORIS

SUMMOTORI MEDICINA HONORARIA ET PRIVILEGIIS

HEC ORTHODXA ET CONSERVATORIA

ET ALIA RERUM LIBIDINOSIVARUM

LITERIS DEDICATA

AVOTOR

ACOBAS PHILIPPS HERIBERTON

BRABANTIS

HIVI MECDEFI TITLES IO CHRISTIANI HENNI



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
AETIOLOGIAE VARIOLARVM  
PER HYPOTHESES TENTATA  
EXPLICATIONE.  
PROOEMIVM.

Inter tot tantasque, quibus gens humana adfligitur, calamitates, vix illa datur, quae tam respectu contagii, quam dirissimorum, quibus stipata incedit, symptomatum, maiorem attentionem mereatur, praeter *Variolas.*

A 2

ED

*riolas.* Subiecta omnis aetatis (infantilis tam  
en prae ceteris), omnisque sexus infensis  
eius telis obnoxia sunt. Per multis mortem  
affert saeuissimus iste morbus; & qui salua vi-  
ta euadunt, sanitatis & formae amissae dam-  
num lugentes, tristissimam hanc veritatem te-  
stantur. Sed quamquam attentione dignissi-  
mus sit hic morbus, vix tamen satis accurata  
& perfecta eiusdem in scriptis Medicorum oc-  
currit descriptio. Non desunt equidem va-  
riæ de illius cauſa excogitatae hypotheses;  
verum, omnes vitio aut defectu aliquo labo-  
rare, infra in ipsa tractatione ostendemus.  
Haec itaque perpendentes & de nouae hypo-  
theses qualicunque vtilitate cogitantes, hanc  
ce tractationem suscepimus. Duas illa conti-  
nebit partes, quarum prima Theoriam mor-  
bi, seu eiusdem historiam, symptomata & si-  
gna, atque enarrationem cauſarum, quas va-  
rii Medici exhibuerunt, complectetur, secun-  
da

da vero pars ex earundem eaussarum refutatione, & subiuncta illi noua hypothesi, cuius ope praecipua in Variolis obuia phaenomena explicare tentabimus, constabit. An vero scopum nostrum attigerimus, hoc iudicio B. L. relinquimus. Sed tametsi spes nos fellerit, atque humeri ad tantum onus gestandum parum valuerint; voti attamen nostri compotes erimus facti, satisque magnam utilitatem nos praefitisse autumabimus, si modo haec nostra conamina alios, in scientia medica nobis peritiores, excitauerint, ut omne studium adhibeant omnemque operam narent in indaganda huius morbi natura atque indole; inde enim redundatura maxima generis humani utilitas, egregium satis horum laborum erit praemium.

## PARS PRIMA

SISTENS

## THEORIAM MORBI.

## §. I.



Variolarum nomine, si generatim tamquam morbus considerantur, insigniri solet febris quae-  
dam exanthematica contagiosa, quatenus con-  
nexa cum variolis.

## §. II.

Variolae autem speciatim consideratae, sunt exan-  
themata pustulosa, successive sub inflammatione in sup-  
purationem abeuntia. Diuersae vero illarum commu-  
niter constituantur species, pro diuersitate formae, co-  
loris, & qualitatis ac quantitatis materiae, quae in pu-  
stulis variolosis continetur, tandemque prout gradus  
febris, quae easdem comitatur, vel maior, vel minor  
est.

## §. III.

Habita ratione formae, exanthemata illa durius-  
cula, versus apicem elongata, parum inflammata, cum  
febre admodum leni ad suppurationem nunquam per-  
uenientia, septiduum vix superantia, quaeque per dia-  
phoresin, nullis vestigiis relictis, praeter maculas sub-  
rotun-

rotundas breui tempore evanescentes, soluuntur, communiter *siccæ variolæ* (*Spitz-Pocken*, sive *Stein-Pocken*) vocantur.

§. IV.

Si ad qualitatem materiae, in pustulis variolosis contentae, adtendas, & illas halituoso-aquosas, sero limpidi repletas, quod mature effundunt, reperias, tunc sic dictæ *emphysematicaæ*, *lymphaticaæ*, (*Wind- oder Waffer-Pocken*) aderunt, quæ vix ultra septem dies durant, nullam, vel saltē leuissimam febrem sibi comitem habent, nullaque post secessionem vestigia relinquent.

§. V.

Recensitæ (§. III. & IV.) species respectu coloris se distinguunt, & quidem ita, ut rubedo pustularum minor sit, quam in subsequentibus speciebus.

§. VI.

Descriptæ modo species *Variolas* sic dictas *spuriæ* sive *nothæ* constituunt. Quod autem illas a iam describendis veris discernit, est pus, quod in ultimis his semper adest, illasque non solum a spuriis, sed etiam ab aliis exanthematibus distinguit.

§. VII.

## §. VII.

Variolae verae, sive exquisitae, iterum in *benignas*  
& *malignas* dispescuntur.

## §. VIII.

*Benignae* dicuntur, quas nulla febris acuta comittatur, & quae parum malignitatis alunt, vbi pustulae, non nimis copiosae, quoad tempora decursus iustum seruant ordinem. Tales etiam *discretae* vocantur, & plerumque salutariter soluuntur.

## §. IX.

*Malignae* e contrario appellantur, vbi febris adest acuta, pustulae adeo copiosae sunt, ut, sibi inuicem implicantae, nullum quasi spatiū liberū in superficie cutis relinquant, tuncque *confluentes* vocari solent. Complicantur hae persaepe cum alio quodam exanthematum genere a), & plerumque tunc lethales esse observuantur.

## §. X.

Recensitis autem nunc variis Variolarum speciebus, monendum esse duco, quod in hac tractatione vniage de veris Variolis sermo mihi sit futurus, nullamque reliquarum, aliarumque ab Auctoribus adhuc adductarum

<sup>a)</sup> Vide Illustr. EBERHARDI Part. II. Medicin. theorer. vbi de Variolis agit.

rum rariorum specierum, veluti *sylvestrium*, *durarum*  
*ovalium*, *aurearum*, *pilosarum*, *vesiculosarum*, *fuscarum*,  
*hermaphroditicarum*, &c. rationem ibi sim habiturus.

§. XI. In cuiuslibet morbi decursu quatuor tempora obseruare licet, inuasionis nempe, incrementi, statūs, & decrementi. Haec vero cum in variolis plerumque exactius sint conspicua, peculiaribus denominationibus insignita fuere b), dum nempe inuasio *despumationis* seu *ebullitionis*, incrementum *eruptionis*, status *suppuratio-*  
*nis*, & decrementum *exsiccationis* titulo exornata sunt,  
quae idcirco singulatim nunc consideranda veniunt.

§. XII. *Inuasio* seu *ebullitio* per exiguum horrorem, quem sequitur aestus sat tolerabilis, se se manifestat. Accidunt spasmi in variis locis, maxime vero circa spinam dorsi; cardialgia, & inde subsequens vomitus, aegro perquam molestus; nec desunt, stupor, prostratio virium, oppletio pectoris, tussi iuncta. Post haec augentur aestus febrilis, pulsus fit celerior atque frequentior, praedicta incommoda exacerbantur, dumque congettiones versus caput & cerebrum fiunt, haemorrhagia

b) Vide Excellentiss. CARTHEVSEI Part. II. Fundam. Pathol. &  
Therap. Cap. de Variolis.

narium, agrypniae, in adultis deliria, in infantibus vero motus epileptici subsequuntur. Porro Venaesectio-nes monstrarunt, sanguinem, qui sub initio morbi na-turalem referebat colorem, nonnullis interiectis diebus colorem intense rubrum & ad nigredinem vergen-tem (certum inflammationis incipientis signum) adi-pisci c).

## §. XIII.

Quando hic status per tres quatuorue dies ita du-ravit, tunc *eruptio* incipit. Maculae nempe rubrae, morsus pulicum referentes, subrotundae, vrentes, to-tius faciei superficiem primo occupant, ad collum dein & brachia se se extendentes, truncum & extremita-tes denique inuadunt. Facta eruptione hae maculae sensim sensimque eleuantur, & in pustulas albidas, mox suppurascentes, abire incipiunt. Sub eruptione fe-bris mitior euadit, & symptomata §. anteced. enarrata nonnunquam plane euanescunt, vel saltem insigne illo-rum notatur decrementum *d*); sed eodem quoque tem-pore noua prodeunt phaenomena, alii nempe segni-ties, cum modica saliuac effusione, nares obstruuntur,

*c)* Vid. BOERHAAVE Aphor. 1384.

*d)* Vid. Illustr. b. m. HOFFMANNI Med. rat. systemat. Tom. IV. Sect. I. Cap. VII.

insimulque facies & collum, vnam manibus & pedibus, intumescunt. Haec vbi per tres quatuorue dies duratunt, suppurationi tunc locus conceditur.

§. XIV.

Septimo itaque aut octauo die inchoat suppuratione, quae eundem, ac eruptio, ordinem seruat. Incipit nempe illa statim in facie, postea in collo & brachiis, tandemque in truncu & extremis perficitur. Vniuersali tunc facta suppuratione, pustulae augentur, circulo intense rubro, ardente & pruriante, circumscriptae videntur, inque medio flavescentes, propter pus, quo infarctae sunt, apparent. Oritur tunc noua febris inflammatoria, quae per totum suppurationis tempus, per tres nempe vel quatuor dies, durat. Si Variolae fuerint benignae, tunc suppuratione circa undecimum diem absoluta est, & exsiccatio dein incipit. Observuantur circa finem suppurationis, diarrhoea & saliuatio, quae excretiones, si moderate succedunt, tanquam criticae & salutares aetimandae sunt. Sin autem Variolae maligniores fuerint, & regressio exanthematum qualicunque causa determinata fuerit, tunc gratia & periculosa inde enasci solent symptomata, ut phrenitis, angina, pleuritis, peripneumonia, mictus cruentus, diarrhoeae mortinosae, &c. Eruptio nouarum variolarum, vel

aliorum exanthematum inter pustulas suppurascentes, nec non circulus rubicundus pustulas ambiens, ad nigrum colorem vergens, pessima signa sunt, & plerumque mortis prodromi, siquidem aegri sub iisdem vix nonum aut undecimum diem superare solent.

## §. XV.

Ad ultimam tandem huius morbi periodum peruenimus, *exsiccationem* nempe. Variolae tunc pus fundentes adparent, circulus rubicundus, quo haec tenus cinctae erant, pallidior evadit, imo prorsus evanescit, pustulae vero exsiccatae in squamulas seu crustulas absunt, febrisque semper, usque ad plenariam cessationem, decrescit; per aliquod tempus dein variolarum remanent vestigia, quae vero, si benignae fuerint variolae, sensim sensimque disparent. Non tamen semper qui hoc morbo decumbunt, sani evadunt; foeditissima enim quandoque post se trahit ulcera, quae carnes, imo & ossa arrodunt. Praeterea quoque hic morbus oculorum infensissimus hostis deprehenditur, illisque persaepe irreparabilia damna inferre solet. Alias autem, si variolae nempe benigniores fuerint, circa decimum quartum diem pristinam aegri sanitatem recuperant.

## §. XVI.

§. XVI.

Signa pathognomonica in inicio istius morbi non occurunt, propter eius cum aliis febribus continuis & inflammatoriis acutis similitudinem; grassatio tamen epidemica, itemque cognitio aegri hoc morbo adfert e), suspicionem haud vanam de eiusdem indole praebere possunt. Certissimum autem signum prodeentes pustulae suppurantes suppeditare solent. Quoad signa prognostica, illa ex quantitate & qualitate puris variolosi, ex copia & qualitate pustularum, atque ex magnitudine & vehementia symptomatum, & ex conditione aegri eruere licet.

§. XVII.

De causa proxima huius morbi variae extant Medicorum sententiae, quarum nonnullas, quoad maximam partem ex egregia Illustr. EBERHARDI Pathologia desumptas, hic recensere volumus. AVICENNA, HALY, RHASES & AVENZOAR, cum reliquis Medicis Arabibus, huius morbi originem ex utero deduxerunt. WILLISIVS causam proximam esse censet fermentum in utero latitans, illudque, per venas inhalantes foetus resorptum, tamdiu in eo absconditum manere, donec, a causa quadam occasionali excitatum,

B 3

omnes

a) Vid. BOERHAAVE Aphor. 1387.

omnes corporis humani humores in fermentationem ruerre faciat. Alex. PETRONIVS Lepram, Luem venereum & Variolas superfluo & putrescenti nutrimento foetus, quod sanguinem fermentescere facit, originem suam debere, affirmat. Illustr. b. m. HOFFMANNVS loco supra cit. succum lymphatico - chylosum matris pro causa agnoscit, idque probare contendit per sequentem obseruationem, quod nimirum infantes, a matre prauis humoribus scatente geniti, maligniores, qui vero a matre bonis succis gaudente editi fuerunt, benigniores experti fuerint variolas. Sedem vero huius succi lymphatico - chylosi in tubulis medullae spinalis ponit, huiusque asserti veritatem testari videntur dolores spastici circa vertebrae dorsales aegris in initio morbi plerumque familiares. Iste succus, ibidem coaceruatus, sub diuturniori mora & stagnatione perniciosa inde contrahit indolem, quae, ut censet Illustr. huius hypotheseos Auctor, duplicitis generis est, alia nempe acris & inflammans, altera vero putrefactoria. Non multum ab eius opinione dissentit excellentiss. EBERHARD f), qui illam materiam variolosam subtiliter causticam cum tenaci lympha mixtam esse arbitratur. MERCVRIALIS & FERNELIVS in acri quadam

f) In Pathologia sua l. c.

dam materia, *Guido PATINVS* vero in alimentis infantum caussam huius morbi querit. *LISTERVS*, cui variolae cum morbis, a morsu animalium rabidorum & venenatorum ortis, conuenientiam quandam habere videntur, illas mortui belluae, nescio cuius, olim inflixto, originem suam debere, huiusque morsus contagium ad nostra vsque tempora se propagasse opinatur. *LANGIUS* & *KIRCHERVS* vermiculos in sanguine generatos pro caussa variolarum venditant. *SYLVIVS*, eiusque sectator, celeberr. de *VOLANTE*, caussam atrae bili, in renibus succenturiatis retentae, tribuerunt. Celeberr. *HAHNIVS* g) variolas in euolutione vasorum sanguineorum cutis, ex analogia cum arborum gemmis, in quibus talis euolutio satis manifesto obseruatur, consistere autumat. *HEISTERVS* b) materiam variolosam venenum esse contendit, quod nobiscum nasceretur, quodque eo malignius euaderet, quo diutius retineretur, indeque rationem deducit, cur variolae in adultis magis, quam in infantibus, periculosa deprehendantur. Excellentiss. *CARTHEVSRVS* tandem pro caussa agnoscit copiosam ac valde acrem materiam viscido-salinam, quae in variolis malignis

ad

g) Vid. ciud. *Variolarum ratio exposita. Wratislano. 1751.*

b) In *Chirurg. Part. II. Cap. XV. §. 5.*

ad naturam vrinoso-putridam accedit, itemque mediante caussa quadam occasionali, v. g. acrimonia in sanguine, vel in primis viis, assumptione viscidorum atque ad fermentandum pronorum ciborum, vel tandem verminosa colluvie, generari existimat.

Disceptatum fuit iam dudum inter Medicos, an Variolae tempore HIPPOCRATIS & GALENI notae fuerint, nec ne? Inprimis autem complures ante annos agitata fuit haec controvuersia inter celeberrimos viros, HAHNIVM & WERLHOFIVM. Cum vero haec lis adhuc sub iudice sit, illam interim praestantissimi Viri, EBERHARDVS & TISSOTVS heic loci dirimant, eumque in finem ipsissima illorum verba referemus. Minus probabile est (inquit excellent. EBERHARD i), Graecis notas fuisse variolas, licet descripti sint ab iis morbi, aliqua cum variolis similitudine gaudentes. Notabilis est locus ab Excell. REISKIO, in Dissertatione sua inaugurali: Observationes medicae ex Arabicis monumentis, excitatus ex Arabico quodam Historico. Hoc demum anno (eo nempe circiter tempore, quo Muhammedes natus est) comparuerunt primum in terris Arabum variolae & morbilli, quorum aliqua iam quidem fuerunt antea

i) Part. II. Conspect. Medicin. theorist. p. 227.

inter Israelitas, non tamen terras Arabum invaserunt, nisi  
tunc deinceps. Paullo antea vero ita scribit egregius  
idem Auctor: *Antiquissimis temporibus incognitus fuit*  
*bis morbus, ita ut neque HIPPOCRATI, neque GALENO*  
*notus fuerit. Ab Arabibus primum descriptus est. Ne-*  
*que Groenlandiae incolis innotuit, iisque ab Europaeis de-*  
*mum illatus est. Porro etiam celeberr. TISSOT de hac*  
*materia differentem audiamus: Variola, inquit ille k),*  
*in Aegypto prima vice comparuerunt initio septimi seculi,*  
*hinc ad Arabes delatae fuerunt & huius gentis Medici tam*  
*accuratam tantoque cum studio confectam huius morbi*  
*historiam nobis tradiderunt, ut nulla fere indigeat corre-*  
*ctione. Posteaquam Arabes ad alias gentes migrarunt,*  
*hunc morbum simul cum religione Musamedana dissemi-*  
*narunt, qui breui post per totam dispersus fuit Europam,*  
*seruus autem ad incolas boreales plagas inhabitantes per-*  
*uenit, quoniam hi multas emittebant colonias, parum ve-*  
*ro ab exteris gentibus frequentabantur. Sed haec suffi-*  
*ciant; non enim nisi per transitum hac de re egimus.*  
*Quod nos autem spectat, eandem cum praedictis cele-*  
*berrimis Viris sententiam fouere eorumque castra se-*  
*qui, nunquam nos pudebit.*

C PARS

b) Vid. eiusd. praktische Vertheidigung des Einspruchens der Po-  
eken, Halae 1756.

## PARS ALTERA.

**HYPOTHESIS AD PHAENOMENA, IN  
VARIOLIS OBVIA, EXPLICANDA,  
CONDITA.**

## §. XIX.

**E**xpositis haec tenus praincipiis Variolarum speciebus, symptomatibus, signis, &c. quae pro talibus habentur, caussis, nobis nunc explorandum venit, an ex allegatis, de caussa Variolarum proxima, hypothesibus, quaedam ad omnium phaenomenorum explicationem sufficiat? si talis datur, iam ab incepto nostro desistendum erit; labor enim noster superuacaneus foret; si vero talis non existat, hanc condere nobis proposuimus. Sed antea singulae §. XVII. enarratae hypotheses eodem, quo illas recensuimus, ordine nobis perlustrandae veniunt, earumque vitia, vel saltem defectus, ostendere tenemur, quibus peractis, nouam hyporhefin, quae & praecedentium defectibus careat, quaeque ad omnium phaenomenorum explicationem sufficiat, exstruere licebit.

## §. XX.

**Ad Medicorum Arabum sententiam quod attinet,**  
nil in ea desiderandum reliquerunt, praeter ulteriorem  
quant.

quandam determinationem, quid nempe intellexerint per originem ex utero. Peccat igitur defectu. WILLISI opinio, tametsi alias sat probabilis, in eadem culpa versatur, siquidem non explicauit naturam & originem fermenti, quod in utero latere supponit. PETRONII hypothesis per se non reiicienda esset; sed cum ab eadem causa Luem venereum & Lepram pendere faciat, eidem nullo modo annuere possumus. Hoc enim supponeret, quod magna inter hosce morbos intercedat similitudo, cui tamen contradicit genuina Pathologia: Lepra enim nullam febrem sibi comitem habet, & Lues venerea nulla, sicuti Variolae, coniuncta habet exanthemata pustulosa. Praeterea, si tres illi morbi ab una eademque causa penderent, cur Americae incolae, quorum endemius morbus a remotissimis iam iam temporibus Lues venerea fuit, variolarum expertes mansissent, donec illas ab Europaeis acceperint. Illustr. b.m. HOFFMANNI hypothesis (si modo fas sit tantum arguere virum) sequentem difficultatem coniunctam habet. In succo lymphatico-chyloso matris, qui & foetum, & matrem, illum in utero gerentem, nutrit, caussam proximam variolarum ponit; si vero hic succus variolas in infante producere valet, cur non eundem effectum etiam in corpore matris exserit? Docet autem expe-

rientia, infantes a variolis corripi posse, libera ab iisdem manente matre, & vice versa. *Guidonis PATINI* sententia simili ratione oppugnari potest; nam alimenta infantum, quae pro caussa variolarum venditat, sive per illa intelligat lac nutricis, sive alios cibos, minime sufficiunt ad illam constituendam: lac enim ex sanguine matris secernitur, adeoque eundem effectum in matre edere deberet, qualis in infantibus eidem tribuitur; cibi vero non nisi caussam occasionalem praebere possunt. *LISTERI* porro bellua easdem sine dubio regiones inhabitat, quas & Chimaera, & Phoenix ac Basiliscus famosas reddiderunt; ad Mythologiae itaque potius, quam ad Pathologiae censum referri meretur. Praeter *LANGIVM* & *KIRCHERVM* nemo, ut opinor, talia animalcula vident in sanguine; licet autem ipsis largiamur, certam esse illorum praesentiam, non tamen inde sequitur, caussam proximam variolarum ab illis esse repetendam, alias enim perpetuis morbis subiecti esse deberemus, quoniam in aliis corporis humani humoribus, vt v. g. in saliuia, itidem quandoque comprehenduntur vermiculi. *SYLVII* hypothesis & Physiologiae & Pathologiae, nec non sapientiae diuinae repugnat. Nondum enim sufficienter de usu renum succenturiatorum constat; hoc autem certum est, illos in

sunt

in

in infantibus maiores deprehendi, quam in adultis, hinc, quoniam, ut vult SYLVIVS, receptaculum materiae variolosae seu atrae bilis esse debent, & quodlibet receptaculum quandam ordinarie seruat relationem ad id, quod in eo continetur, necessario exinde sequeretur, variolas semper copiosiores & maligniores esse debere in infantibus, quam in adultis, cui tamen contradicunt Observationes pathologicae. Proinde etiam mirum omnino videri possit, quod Deus, in cuius operibus tanta semper elucet sapientia, tale receptaculum, nullis ductibus excretoriis instructum, materiae saepe lethiferae destinasset. Euolutio autem vasorum, quae, secundum celeberr. HAHNIVM, causam variolarum constituere debet, vix vnam talem, qualis in variolis deprehenditur, totius humorum massae corruptionem efficere valebit. Cum HEISTERO equidem sentimus, quod venenum variolosum nobiscum nascatur; hoc autem adhuc desideramus, quod miasmatis huius indolem & ortum non explicauerit. Celeberr. CARTHEVSEVS materiae equidem indolem describit, sed causas occasionales seu remotas pro causa materiali proxima sumit. Aer enim & cibi saltem sunt causae occasionales, quae per se variolas producere non valent, quia alias hic morbus toties produci

C 3

debe-

deberet, quoties caussa talis adest, quod tamen experientiae contradicit, vt pote quae docet, homines rarissime, aut vix vnquam iterata vice variolis veris corripi. Cum autem FERNELIVS & MERCVRIALIS aërem etiam pro caussa variolarum agnoscant, illos extra ordinem ad istum censum referendos esse iudicamus.

## §. XXI.

Iam finem huic recensioni dubiorum, contra hypotheses celeberrimorum quorundam Virorum, de caussa Variolarum proxima, imposueramus, cum Dissertatione de vera causa *Variolarum generali*, sub Praesidio Illustr. KALTSCHEIDII a Dn. Sarnighausen an. 1758. Ienae ventilata, ad manus nostras perueniret, quumque celeberrimi eiusdem Auctoris hypothesis iisdem fere, quibus nostra, innitatur fundamentis, insimulque praecauere velimus, ne quis forsitan suspicetur, nos alienis impensis gloriari voluisse, huius Dissertationis succinctum hic tradere placet conspectum, ut Lectores indicare queant, in quantum a nostra discedat, & in quibus cum nostra consentiat hypothesis. Hoc equidem hic lubenter profitemur, quod, si haec Dissertatione nobis, antequam huncce suscepimus laborem, innotuisset, ab incepto nostro destituisse; terret nos enim illa exclamatio. O! imitatorum feruum pecus! hunc

hunc vero titulum nos non meruisse, infra videbit  
B. L.

§. XXII.

Primo Auctōr propositi sui rationēm reddit, variolasque prō morbo antiquissimo se habere declarat, sed sub alio nomine easdem absconditas latitasse. Expositis dein generalioribus circa variolas obseruationibus, ad enarrationem variarum de illis sententiārum, ac deinde ad praecipuarum ex iis refutationem transit, hoc que factō, ad propriae hypotheseos tractationem se accingit.

§. XXIII.

Pro causa itaque primaria variolarum agnoscit meconium & mucum liquoris amnij, in quo natat foetus. Haec ex partibus sulphureis, cum alcalinis summe volatilibus, constare afferit; illas a venis inhalantibus cutis foetus resorberi, ibidem stagnare & subsistere, ac irritationem & inflammationem in cute producere, affirmat, materiamque illam, in cutis vasculis haerentem, acredinem suam, qua pollet, vicinis partibus largiri autumat, vt inde tanta denique acrimonia oriatur, quanta ad producendas variolas requiritur. Deinde phænomenorum, in variolis occurrentium, rationem redde-re tentat, & quidem 1) cur plerique huic morbo subii-

cian-

ciantur? quia apud omnes & mucus liquoris amnii & meconium adsunt; cur infantes saepius, quam adulti, hoc morbo decumbant? quia apud illos atonia adesset, quae ad generationem acrimoniae facit; 3) cur infantes in utero materno rarius, quam extra illum, & post aliquot hebdomades a partu, variolis adfligantur? quia sanguinis circulatio in foetu, adhuc in utero inclusa, promptius ac liberius succederet, quam in foetu iam exclusa, dum nempe in illo a circulo sanguinis materni pendet, & quia interim, durante aliquot hebdomadum interuallo, sat notabilis facta est humorum mutatio; 4) cur semel plerumque per totam vitam variolis subiiciantur homines? quia vsu congruorum remediorum causa eliminata esset, qua annihilata, noui amplius non produci possent effectus; 5) cur inoculatio non succederet, vbi iam naturali ordine adfuerunt variolae? quia tunc vel nulla, vel saltem leuissima adesset causa in corpore.

#### §. XXIV.

Sequitur dein solutio nonnullorum dubiorum, quae contra illam hypothesis moueri possent: 1) Si mucus liquoris amnii & meconium causae variolarum essent, & hi humores a sanguine secernerentur, ipsae que partes constituentes in massa sanguinis iam adessent,

tunc

tunc variolas experiri quoque deberet mater; ad haec respondet Auctor, allegando exemplum a vino desum-  
tum, quod nimirum mustum iisdem partibus gaudeat,  
ac vinum, & tamen magnum inter hos liquores inter-  
cedat discriben, vnde sequeretur, ope fermentationis &  
diuersae mixtionis eorundem elementorum, diuersae  
quoque ab inuicem indolis oriri posse producta. Se-  
cunda obiectio haec est: Quomodo nimirum fieri pos-  
sit, vt eruptio variolarum sero, & aliquando tantum in  
sene&tute contingat, tametsi continua diaphoresis &  
transpiratio partes acres, in cute haerentes, secum au-  
ferre deberet. Ad hanc respondet Auctor, quia, vt su-  
pra dixisset, partes acres vicinas partes inficerent, hinc  
licet etiam quaedam illarum abirent, nouae tamen sub-  
inde generarentur, quae in sene&tute etiam variolarum  
cau&sa esse possent. Hisce dubiis solutis, ostendere co-  
natur, nullam, praeter suam hypothesin, dari, quae ad  
omnia explicanda sufficeret. Inter cau&ssas occasio[n]ales  
sex res non-naturales numerat. Utilitatem vero tra-  
stationis suae sic demonstrare contendit, quod nimi-  
rum ope suae Theoriae homines, si non a variolis be-  
nignis prorsus immunes, saltem a malignis p[ro]fer-  
uari possint, adhibitis remedii, quae alkali volati-  
le, quod in utero in corpus foetus penetrauit, figere

D

magis,

*magis, & ad se- & excretiones aptum reddere valerent.*

§. XXV.

En! quam polliciti sumus, huius Dissertationis synopsin! Sed (vt ad propositum nostrum redeamus), nonne mira cuiuis nostra videbitur audacia, dum tam arduum opus aggredi tentamus, in quo tot tantique viri (§. XVII. & XX.) incumbentes, incassum sudaue- runt. Hanc ob rem beneuoli Lectoris indulgentiam imploramus, ne nimium critico supercilio hasce no- stras academicas perscrutetur primitias.

§. XXVI.

Meconium, seu partes excrementitias foetus in utero nutriti, quatenus a foetu resorptae sunt, pro causa materiali variolarum proxima agnoscimus. Inci- tamenta autem, quae ad hancce condendam hypothesin habuimus, haec sunt: 1) Defectus varii circa iam conditas hypotheses obseruati (§. XX.). 2) Meconium ipsum, quatenus fex tenax splendens, colore viridi ni- grescente praedita, virulenti quid torminibus monstrat, quae in abdomen infantis excitat. 3) Infantilis aetas huic morbo prae ceteris magis obnoxia.

§. XXVII.

Indolem huius meconii resorpti duplarem esse, cum Illustri b. m. HOFEMANNO supponimus, aliam nempe

nempe acrem & inflammantem, alteram vero putrefactoriam. Haud dubitandum est, quin rite instituta per analysin chemicam huius materiae examina, maximam huic asserto lucem affundant.

§. XXVIII.

Actionem vero & sedem huius meconii resorpti frequentem in modum nobis concipimus. Ex Physiologia constat, tractum intestinalem tunica villosa gaudere, conflata ex orificio seu extremitatibus vasorum exhalantium & inhalantium. Meconii itaque, in intestinis infantis recens nati haerentis, portio quaedam subtilissima resorberi, & in ipsis villis vel subsistere, vel ad tubulos medullae spinalis, ut vult Illustr. HOFFMANNVS (de sede enim parum interest), deferri potest. Ista nunc meconii subtilissima portio, in latibulum quoddam delata, ibidem viscositate quadam inuoluitur, quae materiam variolosam impedit, quo minus vim suam in corpore humano exerceat, donec causa qualiscunque occasionalis sufficiens accesserit, quae materiam variolosam a viscositate sua liberet. Tali ergo causa superueniente, materia variolosa, vi indolis suae acris & inflammatoria, inflammationem, vi autem putrefactoriae postmodum putredinem in corporis humani humoribus excitat.

§. XXIX.

## §. XXIX.

Quod ad caussas occasioales spectat, illae variae esse possunt; quidlibet enim, quod efficere potest, ut materia variolosa, se cum humoribus corporis humani miscendo, aetiuitatem suam exserat, pro tali caussa habendum erit. Ad has autem referri possunt, aër, cibus & potus, animi pathemata, & praecipue terror *k*, qui, vasa exhalantia constringendo, & orificia inhalantium dilatando, haec magis idonea ad contagium suscipiendum reddit. Praecipua vero caussa occasionalis erit contagium admissum, quod vi quadam singulare in viscositatem, materiam variolosam inuoluentem, agit. Tandem ad has quoque referenda est vis vitae, quatenus vegetior facta, vt in febri, quae tunc materiam variolosam a compedibus suis liberare valet.

## §. XXX:

Vidimus supra (§. XVIII.), variolas morbum esse recentem, antiquioribus temporibus non cognitum; adeoque dispiciendum nunc erit, quomodo prima vice ortus sit. Quoniam caussa materialis, seu meconium, a primis temporibus propagationis gentis humanae praesens fuit, merito hinc quaeritur, cur tam tero vario-

*R. MALLERI prime lineae Physiolog. Cap. de Taetn.*

variolae prodierint? Ad hoc respondemus, quia illo tempore, quo primum comparuerunt, caussa adfuit occasionalis sufficiens, quae antea in debito gradu defuerat; nam sicuti praesentia talis caussae occasionalis sufficientis ad producendum morbum requiritur, ita eius absentia obstaculo fuit, quo minus hic morbus antiquioribus comparuerit temporibus.

§. XXXI.

Nec obstat nostra hypothesi, quod ista materia variolosa tamdiu in corpore latitare possit, & in prouectiori tandem aliquando aetate virulentiam suam exserat. Exempla enim habemus in Cancro, qui per longum tempus in substantia glandularum occultatur, itemque in veneno animalium rabidorum, & miasmate venereo, quorum effectus post longam denique temporis moram sese manifestant.

§. XXXII.

Nunc nobis exploranda venit ipsa hypothesis, an sit genuina, i. e. an explicationi omnium phaenomenorum, tum in variis decursus temporibus, tum circa variolas obviorum, satisfaciat?

§. XXXIII.

Tempore inuasionis occurrent varii generis spasmi in variis partibus, quorum caussa est distensio vasorum,

rum, a motu intestino producta, quem materia acris inflammans in humorum massa excitat. Spasmi autem in una parte exacerbati congestiones in aliis vicinis partibus producunt; exinde patet ratio, cur spastici dolores, per dorsum maxime excurrentes, individui huius morbi comites, congestiones versus caput & inde pendentia deliria, somnum inquietum, imo in infantibus maiori sensibilitate praeditis, insultus epilepticos producere valeant. Extensio porro vasorum spasmodum periphericum seu febrei; nec non eorundem vasorum vibratuum motum producere potest. Inflammatio autem vehementem vasorum vibrationem & penitus sanguinis in illorum parietes requirit; hinc apparet ratio, cur languis, evena missus circa finem huius periodi, inflammationis signa praeseferat.

## §. XXXIV.

Sub eruptione spasmi remittunt, & ab iisdem pendentia symptomata mitiora sunt, quod cum observationibus consentit. Spasmus itaque peripherico remitten te, materia acris inflammans facilius & liberius in vasa cutanea transit, & inflammationem ibidem producit, quam produnt maculae rubrae tunc apparentes, sensimque ardoris & pruritus inferentes, & haec inflammatione nouam, sed symptomaticeam, producit febrem.

## §. XXXV.

§. XXXV.

Tempore suppurationis noua quaedam occurunt symptomata, ut saliuatio & diarrhoea, quae cauissam suam in congestionibus proxime positam habent, & superfluae materiae variolosae e corpore eliminandae inferunt. Ex iisdem quoque congestionibus rationem sequentis phaenomeni reddere possumus, cur nempe variolae in eruptione & suppuratione certum ordinem servent, vt primo in facie, postea in collo & brachiis, ac denique in truncō & inferioribus adpareant partibus. Congestionibus enim versus superiora directis, ibidem afflatus humorum maior factus est, hinc eruptio: e contrario tunc in vasis inferioribus, a spasmo adhuc constrictis, fluido qualicunque exitus praeccluditur, hinc eruptio macularum ibidem non nisi plane remittente spasmo euenire potest. Eruptione autem facta, sequitur suppuration, quae eundem servabit ordinem, quia variolae quae prius prodierunt, prius quoque suppurare debent; maculae rubrae, a materia acri inflammante (§. anteced.) productae, cum eadem ibidem haerente materia, irritatione, quam in vasis cutaneis excitat lympha, ibi afflumen determinant, vnde tunc sensim eleuari, albescere, imo, vbi lympha in pustulis contenta maturescere incipit, flauescere debent. Haec sunt ope inflammationis, quae

ad

ad puris generationem requiritur, vnde variolae quasi exiguos formant abscessus. Si autem variolae fuerint malignae, & pus contineant indolis maxime acris & putrefactoriae, illudque ad interiora retropellatur, tunc symptomata §. XIV. enarrata producuntur. Haec autem cum sint ordinarii regressionis effectus, illorum explicatio non inhaerebimus. Talis regressionis possibilitatem testantur sectiones cadaverum hoc morbo defunctorum, quorum viscera variolis obsita deprehenduntur. Regressio autem pro caussa agnoscit vel defectum vis vitae, quae ad exanthemata a centro ad peripheriam corporis ducenda segnior est, vel spasmus periphericum, siue is a caussa externa, ut frigore & aliis similibus, siue a caussa interna, ut distensionibus viscerum, oriatur. Porro inter pustulas quandoque apparent exanthemata aliis generis, haec que a caussa quadam aliena, sufficiente ad talia exanthemata gignenda, quae ad caussam proximam variolarum accedit, dependent.

## §. XXXVI.

Sub exsiccatione nulla noua prodeunt symptomata, sed praecedentia mitescunt. Si vero pus indolis magis putrefactoriae in superficie cutis paullo diutius haeret, tunc ratio elucescit, cur dein partes subiacentes arrodere, imo, si ad ossa peruererit, cariem producere possit.

## §. XXXVII.

§. XXXVII.

Ex observationibus constat, variolas vel semel, vel aliquoties, vel nunquam subiecta quaedam inuadere. Primus horum casuum frequentissimus est, & supponit caussam aliquam occasionalem sufficientem ad excitandam caussam materialem proximam, eamque ex corpore plane prorsusque eliminandam. Secundus vero casus rarissimus & a pluribus in dubium vocatus est; quidquid autem sit, eiusmodi casus, si forte existat, supponit non plenariam materiae variolae prima vice factam remotionem, vnde suspicari licet, portionem quandam remansisse, quae, data occasione, massam humorum ita inquinavit, ut exinde variolae rursus nascerentur. Tertius quoque casus non admodum frequens est, & supponit, vel nullam, vel saltem insufficientem adfuisse caussam occasionalem, ad caussam materialem proximam excitandam idoneam.

§. XXXVIII.

Observationes nos docent, aetatem infantilem praeceteris ad variolas pronam deprehendi. In infantibus partes solidae maiori mollitie, & fluidae maiori tenuitate gaudent; nunc autem viscositas, quae materiam variolam inuoluit, ad fluidas partes pertinet; ergo in infantibus, cum illa non adeo tenax sit, facilius vi resolvente

E

conta-

contagii solui poterit. Praeterea notum est, corpora quo fluidiora sunt, eo ad fermentandum aptiora esse; cum autem in infantibus partes fluidae admodum tenues sint, & materia variolosa in humores, tamquam in massam fermentescibilem, agat, ratio hinc elucet, cur aetas infantilis ad hunc morbum suscipiendum adeo proclivis sit, & cur e contrario adulti aut proiectioris aetatis subiecta huic morbo non tam facile & frequenter subiiciantur, quia in iisdem plerumque viscidum tenacius est, humoresque temporis progressu spissiores euadunt.

#### §. XXXIX.

Quo diutius stagnat & subsistit variolarum materia acris inflammans & putrefaciens, eo maiorem concipiatur acredinem necesse est, & tanto maior eiusdem malignitas erit. Inde apparet ratio, cur in infantibus variolae plerumque benigniores, ceteris tamen paribus, quam in adultis occurrant.

#### §. XL.

Per obseruationes constat, infantes a matre, impuris humoribus scacente, progenitos, maligniores expertos fuisse variolas, quam quorum matres temperatis & purioribus gaudebant humoribus. Huius phaenomeni ratio sequentem in modum concipi potest. Ex Physiologia notum est, foetum nutriri a matre in utero, siue haec

nutri-

nutritio per os, siue ope circulationis sanguinis ex matre in foetum, & ex foetu in matrem peragatur. Si autem succi matris depravati fuerint, nūtrimentum foetus ex his consectum prauam quoque contrahere debet indolem, & meconium, seu feces, maiori gaudere acredine. Si vero acrius est meconium (id quod etiam de portione eius subtilissima resorpta valebit), tunc maiorem quoque, vbi excitatum fuerit a caussa quadam occasionali, vniuersae humorum massae putredinem inferre debet; hinc variolae hoc in casu maligniores erunt. Contrario autem modo res fese habebit, si matris succi temperati fuerint.

§. XLI.

Variolae non ad haereditarios referuntur morbos<sup>1)</sup>; obseruatum enim fuit, quod parentes, qui variolas experti fuerunt, infantes procreauerint, qui per totam vitam ab iisdem immunes vixerunt. Hoc supponit, apud parentes caussam aliquam occasionalem sufficientem ad variolas producendas adfuisse, quae vero in infantibus locum non obtinuit.

§. XLII.

Ex Dissertatione de *Peste variolosa in Groenlandia* anno 1739. Havniae, sub DETHARDINGII Praesidio  
E 2 ven-

1) Vid. TISSOT l. c.

ventilata, duas adhuc obseruationes excerptas hic subne<sup>c</sup>tere non incongruum fore putamus, nempe 1) quod variolae in Groenlandia multo grauiores & perniciosiores, in Africa autem, & praecipue in Promontorio Caput bo<sup>n</sup>nae spei dicto, multo mitiores effectus edere soleant, quam diuersitatem non immerito a diuersa temperie aëris deriuandam esse existimat au<sup>t</sup>or; 2) quod, variolis epidemice in Groenlandia grassantibus, puer quidam, qui vlcus in latere dextro gerebat, ab iisdem tamdiu immuni<sup>s</sup> manserit, quamdiu vlcus praedictum apertum erat; eodem vero postmodum consolidato, variolae statim comparuerint. Procul dubio materia variolosa hoc vlcere tanquam ductu excretorio vtebatur, quo occluso dein in massam humorum dispersa fuit.

## §. XLIII.

Tandem ex obseruationibus quoque constat, variolas esse contagiosas (§. I.), vernali & autumnali praecipue tempore, ab initio sporadice occurrere, postea vero epidemicam grassationem formare, & plerumque intra quatuordecim dierum spatium decursum suum absoluere. Constantem quoque temporis ordinem tunc seruare solent, licet iste ordo aliquas quandoque mutationes patiantur, pro diuersitate anni temporis, in quo morbus iste regnat, pro temperie coeli, sub quo vitam aeger degit,

pro

pro magnitudine causae morbi, & pro diuersitate aetatis sexus & temperamenti aegrotantis.

§. XLIV.

Sed haec nunc sufficient, dum scopum nostrum, quantum in nobis fuit, nos attigisse speramus. Si tamen aliquid desiderandum restaret, illud ut benebole supplet lector, humanissime rogamus, simulque recordetur, nos hancce tractationem pro hypothesi tantum, & virium nostrarum tentamine, venditare.

§. XLIV.

Finem itaque huic opellae faciant notatu perquam digna Principis Medicorum recentioris aeuī verba: *Correctio, inquit m), specifica niti debet inuenito remedio, opposito illi veneno contagioso, quod, tam parua mole suscepsum, reliqua parit. Quale inueniri posse comparatio historiae antidotorum & indoles huius mali faciunt sperare; & ad indagandum impellit summa hinc fistura generi humano utilitas.*

m) BOERHAAVE *Aphor. de cognoscend. & curand. morb. Aphor.*

1390. Et 1391.

PRAENOBILISSIMO ATQUE PRAECLARE DOCTO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

P R A E S E S.

**N**ouo neque infelici conamine periculum fecisti, ut grauem Variolarum theoriam illustrares. Sunt quidem (neque hoc inficias ire tibi sumfisti), qui veram Variolarum caussam hypothesi, a tua vix abludente, declarare annisi sunt; verum exactius, plenius, distinctius totum hoc argumentum exposuisti, vt itaque abinde non leuis ad te honor mihi redundare videatur. Accedit, hanc scriptionem, cuius solus exsistis Auctor, ita a te mecum esse communicatam, vt, quae summam rerum pertractandarum attinent, mutare mea opera & interpolare noluerim. Quae cum ita sint, non possum non egregium hoc TVAE eruditionis & indefessae diligentiae specimen tibi gratulari, optans simul, vt idem, aliorum Medicorum trutina expensum limaeque subiectum, suo hi aplausu non iudicent indignum. Hacc praesentem respiciunt Dissertationem. Quid vero de moribus TVIS ingenuis, de diligentia, quibus scientiis operam dedisti, praeclera, de studio TVO, quo inter alios eminere voluisti, dicam? Per quatuor fere annos tam Berolini, quam in nostra Fridericiana, vitam vivisti academicam, TVIS quidem Praeceptoribus assiduitate, morum elegantia, usque omnibus innorescens, quae iuuenit ornant, quaeque ipsum ad promouendam reipublicae salutem natum esse declarant. Quibus laudibus ornatus, quibus virtutibus instruetus, omnibus, quibus innotuisti, te commendasti; vnde dein etiam factum est, vt Medicorum Ordo, egregios TVOS in arte salutari profectus perspiciens, iure tibi honores, quos adspirabas, tribuendos esse iudicauerit.

Gratu-

PRAE

E

Gratulor **TIBI** haec **TVAE** diligentiae praemia, quae **TIBI** vera sunt  
ornamenta. Neque magis quidquam in votis habeo, quam ut non  
solum saluus & in columis in patriam, quae prolectum **TVORVM**  
fructus vberrimos exspectat, redeas, sed vitam etiam, omni felici-  
tatum genere insignitam, diutissime agas. Vale, PRAENOBILISSI-  
ME CANDIDATE, meique amicam retine memoriam. Dab.  
Halae Magdeburgicae, d. IV. Augusti, MDCCCLXIV.

V I R O  
PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO,  
S V M M O S I N M E D I C I N A H O N O R E S  
M E R I T I S S I M E I M P E T R A T V R O ,  
D O M I N O P E L I S S O N ,

A M I C O R V M P R A E S T A N T I S S I M O S V A V I S S I M O Q V E ,

S . P . D .  
O T T O F R I D E R I C V S S P R O E G E L ,

M E D . S T V D . O P P . O R D .

Diu est, ex quo amicitia coniuncti sumus arctissima, suavissime  
amicus; quid mirum, quod hanc occasionem, amicitiae nostrae  
dare testimonium, & publicum quidem, non pratermittere pa-  
tiar. Quid vero agam, quid faciam, quid **TIBI** denique scribam,  
certe ignoro: non adulatoris, non ostentatoris conor ambire mu-  
nus, & ab altera parte amicitia tot tantasque **TVAS** laudes enarra-  
re atque in eas quam amplissime excurrere, me iubet; sed quid  
veritati conueniens est dicere mihi licebit de amici praestantia.

Peper-

Pepercisti nulli, in comparanda vera medicae artis & solidissima cruditione, labori, nulli sudori; quis enim melius diligentiam **TVM** nosse potest ac ego, qui vno sub testo varia tecum Berolini per tuli commoda & incommoda? Iam tertium semestre regiones reliquit nostras, dum hic sumus, & per hoc temporis interuallum diligentia **TVA**, ab visitato modo longe remota, semper mihi loco fuit exempli. Hodiernus quoque hoc testatur dies, quo publicum eius edis & optimum specimen & **TIBI** dignissimum. Erit certissime tractatio **TVA**, quam **TE** auctore defendendam suscepisti, & Medicinae cultoribus & afflictis ipsis maximae utilitati, licet haec materia, eiusque disquisitio perfecta ad longissima adhuc tempora remota esse videatur. Te monumenta veterum, a quibus scientia ad nos descendit, nosse, te illa eroluere potuisse, facile & omnimode quidem patet. Non vanum igitur, quod de **TE**, Medico olim erudito, cordato, genuino, concipimus augurium. Sed plura recte omitto; temporis ratio maiora adferre, & consuetudo prohibet, amicum blanditiis decipere subdolis non patitur amicitia; omnia dixi, si **TIBI** ex animo de acquisita ex specimine laude, de dignitate doctorali, gratulerer. Discedas nunc, **AMICE SVAVISSIME**, bonis auibus, reuertas felicissime in patriam, vbi amplissima impenso laboris **TE** expectant praemia. Viue diu, viue Deo, viue patriae, sequere, qua **TVA** **TE** fata vocant. Vale, fau & ama; quamdui vitalis caloris quid in pectore meo fuerit, sollicite cauebo, ne sinceri desim amici partibus, omnemque nauabo operam, ut idem & vitae, qui amicitiae nostrae, sit terminus. Dabam  
 Halac Saxonum, die IV. Augusti MDCCLXIV.




00 A 6283



SL

Ratko ✓

DIS  
PAJ  
VOL



8

B.I.G.

Black

7

6

5

4

3

2

1

Centimetres

Inches

DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
AETIOLOGIAE VARIOLARVM  
PER HYPOTHE<sup>S</sup>IN TENTATA  
EXPLICATIONE,

QVAM  
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**  
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDICAE SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,  
ET REGIARVM SOCIETAT. SCIENTIAR. ANGLICAN. BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI,

**PRO GRADV DOCTORIS**  
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQUENDIS

D. VI. AVGSTI A. R. S. C<sup>1</sup>9 I<sup>o</sup>CCLXIV.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

**IACOBVS PHILIPPVS PELISSON,**  
BREMENSIS.

HALAE MAGDEB. LITTERIS IO. CHRISTIANI HENDEL.